

PER QUEM REGES REGNANT, ET LEGUM CON-
DITORES JUSTA DECERNUNT,
DOMINUS HÆC COEPTA SECUNDET!

DISCURSUS POLITICUS,

DE

RE I P U B L I C Æ
AB INTERITU V I N-
D I C A T I O N E ;

QUEM

J E H O V A L A R G I E N T E S U C C E S S U M ,
Cum consensu Amplissimi Philosophorum Chori, in Regia
& inclita universitate patriæ, quæ Aboæ est

S U B D I R E C T I O N E

V R I Excellentiss: atq: Praclarissimi

D. M. JACOBI FLACHSENIUS
Logices & Metaphysics ibidem Professoris celebre-
rimi, Præceptoris & Promotoris sui multis nomi-
nibus honorandi:

Pro privilegijs & insignibus Magisterii impetrandis, publice
dextrè Philosophantium disquisitioni submittit,

A N D R E A S P A C C H A L E N I U S .

Martyr
Die 3: Februario Anni M. DC. LXXVII.

In Auditorio Acad. Maximo.

A B O Æ

Excusus à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO,

DN. JOHANNI GEZELIO,
S. S. Theologiae Doctori celeberrimo, inclytæ
Diœcesis Aboensis Episcopo Eminentissimo, nec
non Regiae ibidem Academæ Procancellario Am-
plissimo, Mecœnati ac Patrono suo devotâ
reverentiâ æternum colendo:

NEC NON

ADMODUM REVERENDIS VIRIS,
DN. ENEVALDO SVENONIO, S. S.
Theologiae Doctori & in Reg. Acad. Aboensi Pro-
fessori Primario, nec non utriusq; Ecclesiæ Abo-
ensis & Annexæ Numensis Pastori fidelissimo:
DN. PETRO Bångb/ S. S. Theologiae itidem
Doctori & Professori celeberrimo, juxtaq; Eccle-
siæ Marianæ Pastori longè dignissimo:
DN. NICOLAO TUNANTRO, S. S.
Theologiae in dictâ Acad. Professori celeberrimo,
atq; Ecclesiæ Dei quæ in Lund colligitur Pastori
vigilantissimo & optimè merito.
DN. M. MARTINO MILTOPÆO, Elo-
quentiæ ibidem Professori nominatissimo, ut &
animarum Pastori in Pqfis pervigili.

Dominù, Preceptoribus & Promotoribus suis
summâ reverentiâ atatem de venerandis,

GRA-

GRATIAM ET PACEM A DEO PER
JESUM CHRISTUM, JUXTAQ; PRO-
SPERRIMUM OMNIUM RERUM
SUCCESSUM, CUM IMMOR-
TALI NOMINIS GLO-
RIA!

ID, prob dolor, seculum attigimus, Reverendissime in Christo Pater,
Admodumq; Reverendi Domini, quo totus ferè orbis ardet bello, adeo
ut non preter rem quis exclamare queat: O Domine, in qua nos reser-
vasti tempora! Hæc enim si & quâ judicij lance perpendere voluerimus,
nihil fermè deprehendemus, quod adeorum duritiam & nequitiam ac-
cedere possit amplius. Reperire licet passim quosdam tam perfictæ fronti-
tis homunciones, quibus nihil videtur bellum præter bellum: Sed quam
bellum illud sit, & quam bellos habeat exitus, experti jam sunt, imò e-
stiamnum experiuntur plurimi, non sine maximo dolore & damno, in il-
lis locis ubi Mars sedem suam hoc tempore collocauit, ubi florentissimæ se-
getes prostratae sunt, tuguriola rusticorum flammis consecrata, pagi exu-
sti, omnia mobilia ablata, Virgines & mulieres vitiatae, innocentes
infantuli ab ubere materno abrepti, & misere occisi, & ut rem in arctum
contraham, præde rapacissimæ omnia exposita, & cruentæ hostium injuriæ
oportuna facta. Hinc fit ut ex Cræso sapientius Irus factus sit, ex liberoman-
sipium, ex liberis orphani, ex matronâ letissimâ tristissima vidua, & quæ
alia innumera hæc sequuntur mala. Deploravit hoc olim per annos be-
nè multos letissima patria nostra, dum pro libertate Reip. & Orthodoxæ
religionis strenue pugnavit, nec minus deplorat bodiæ, cum ob adversa-
riorum, (quos Deus reprimat) pertinaciam, pro salute nostrâ necessariò
nobis sit dimicandum; Inter hos igitur patriæ tumultus, inter hæc publi-
ca suspiria, cum mibi ex permissione amplissimæ facultatis Philosophice,

summos in Philosophia honores adituro, juxta tenorem constitutionum
 Academicarum incumbat, ut loco exanimis publici disputationem quan-
 dam Philosophicam, publicè defendendam susciperem. Causè igitur non
 fuerunt nulle, que mihi persuadebant, ut præ ceteris hanc presentem
 de conservatioue & reparacione Reip. mihi eligerem materiam. Cog-
 tanti verò mihi sub quorum nomine Exercitium hoc Academicum in lu-
 cem prodire finarem, ulterò se obtulere mihi, Vester Reverendissime Dn.
 Præfui, & Admodum Reverendi Domini incomparabilis erga cunctos Mu-
 sarum cultores amor & favor, nec non benevolentia & affabilitas summa,
 adeo ut non possum, quin levidense loc munusculum chartaceum, in
 sinum vestrum, submissè deponam. Idq; dum facio, hunc unicum sco-
 pum mihi præfixum habeo, ut Vestrum patrocinium, quod humanitatis
 & literarum cultoribus prolixè exhibetis, etiam mihi acquirerem, sub il-
 lo gauderem florerem. Humili huic meo voto ubi locum dederitis, ne-
 scio quam me tunc felicem reputarem. Agite igitur Patroni benignis-
 simi, ut in gratiam & clientelam Vestram recipiar: Ego id unicè allabo-
 rabo, ut grati Clientis nomen merear. Et quod represtare non valero,
 precibus affatim compensare studebo, Quibus Vestram Reverendissimam
 Paternitatem, Admodumq; Reverendas Dignitates Deo Opt. Max. servi-
 dissimè semper commendabo. Idem etiam ille Clementiss. Deus serenissi-
 um Regem nostrum, pericù losissimis hisce temporibus oculis misericor-
 die intueatur. Custodiat Dominus Zebaoth Regiae ejus Magistratis exi-
 convertat, evertat omnes hostium machinationes, convertendos
 in literarum ac pietatis studijs, ipsi servire valeamus. Audiat & Exaudi-
 at servulj preces, per & propter Divini Nomini sui gloriam Sacro-
 fabla in Monade Trias. Valete & in multis superstites annos florete.
 Sic enim ex intimis cordis recessibus volet dum hæc calor offa revisit

Vestræ Reverendiss. Paternitatis
 Vestrarumq; Adm; Rev. Dig:um

Humilimus cultor & servulus
 ANDREAS PACCHALENIUS
 Author & Respondent.

ΠΡΟΑΤΛΙΟΝ



Ureum illud pacis bonum
 tanquam temporalium bonorum
 omnium longè diuq; desideratissi-
 mum, quòd; in rebus creatis, nil
 gratiōsius soleat audiri, nil delecta-
 bilius appeti nil utilius possideri,
 omnes omnino mortales magni
 facere, querere & sectari, jubent
 divina cumprimis in locis benē

multis oracula, juxtaq; magnorum cum Theologorum cum
 in amplissimo Philosophiae viroto, nominatissimorum virorum
 scripta: Ex Sacra paginā, unicum illud Apostoli dictum alle-
 gasse sufficiat: Pacem sequimini cum omnibus, & Sanctimoniam
 sine quā nemo videbit Deum: Ex illis itidem unum pro o-
 mnibus adducam, magnum illum Ecclesiæ Doctorem, Chri-
 stianæq; Religionis defensorem propugnatoremve acerrimum,
 Div. Augustinū, qui adpositè satis & præclare admodum de
 pace loquitur dicens: Pax est serenitas mentis, tranquillitas a-
 nimi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium cha-
 ritatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras
 comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat,
 inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extollī, nescit
 inflari, hanc qui acceperit, teneat: qui perdiderit, repetat:
 qui amiserit, exquirat: quoniam qui in eādem non erit inven-
 tus à Patre abdicatur, à Filio exhæredatur, nihilominus à Spi-
 ritu S. alienus efficitur: nec ad hæreditatem Domini poterit ve-
 nire, qui testimonium pacis noluerit observare. Inter hos vē-
 rō, cum similiter multi sint, qui pacis commoda dignis satis esse
 runt laudibus, tum præipue notatu digna extat in hanc rem
 sententia Principis Eloquentiæ Romanæ, qui ait: Nihil est tām
 popularē, quam pax, quam non modo iij, quibus sensum natu-
 ra dedit, sed etiam testa atq; agri, mihi lētari videntur: Et
 alibi, Dulce est nomen pacis, res verò ipsa tum jucunda, tum

salutaris. Mirum igitur non est, pacem publicam, & tranquillum Reip. statum, à maximâ mortalium parte, imò ab omnibus, res ex vero æstimantibus, ardentissimis votis, atq; crebris expecti suspiriis; Modum verò quô, & media per quæ, Resp. talis conservari queat, ut in eâ pacatus obtineatur status, vel etiam post exortas hinc vel illinc seditiones, post incursum hostium, post strepitum armorum jàm sedatum, post tot incomparabilem Heroum factam jacturam, pristina in Remp. introduci possit felicitas, ignorant multi. Proinde cùm de causis Rep. rump. conservaticib; seu medijs quibus optatus in Republ. status obtineri possit, sequentes hasce Theses prælo committe, atq; candido cruditorum examini submittere animum induxerim, de Tuò Lector benevole favore, & in his recte interpretandis benevolentia nullus dubito. Igitur sine pluribus verbis auctoribus, me ad ipsum discursum accingam, quod dum facio, impensè rogo, ut Is qui regit hæc imperia, & à quo pacem omnes petunt pacifici, dignetur actui huic disputationis gratiosus adesse, atq; pro immensâ bonitate suâ nostris his benedice, re cœptis, quoniam is solus est.

Almus Protector Adjutorq; Fidelium.

THEISIS I.

Cum de modo & medijs Republicas in Flore feliciter conservandi, divinâ faveente gratiâ, hac vice differere sit animus, haud inconveniens videtur, quædam hic prælibanda, tradere de ipsius Reip. naturâ, breviter explicando eam tam quoad Definitionem nominalem quam realē, quomodo faciliorem nobis viam sterni speramus, ad tractandum thema susceptum.

THEISIS II.

Omnia logia, igitur seu definitionem nominalem quod concernit, notum est circa eam tria cum primis observanda veni-

venire; 1. Επιμολογία, seu derivationem vocis. 2. Ομονοια, seu variam vocis significationem. 3. Συνομοια, seu æquipollentia vocabula. Jam quoad Επιμολογία sciendum est, Reip. vocabulum esse compositum, ex duabus integris vocibus videlicet Res & publica; cum omnia in eâ ad rem dirigenda sunt publicam, vel ut placet nonnullis dicitur Resp. quasi res populica, quod in eâ & per eam populi totius res agatur, i. e. salus ipsius procuretur & conservetur. Quoad Ομονοια verò, tenendum est Remp. aliquando in concreto sumi, pro cœtu hominum publico, certo jure consociatorum: quomodo & materiale & formale ejus designat; quo sensu dicitur: Resp. Atheniensis, Romana, Svecana &c. Aliquando in Abstracto, pro ordine & formâ seu gubernatione cœtus politici Prior significatio hoc loco tanquam propria retinenda.

Æquipollentia vocabula hic non adeò occurunt, nisi quod Græcis dicitur πλεῖα, Latinè Regimen & imperium, igitur his missam facientes ipsius nominis explicationem, pergimus ad declarationem ipsius Rei.

THEISIS III.

Quod attinet περιγραπτολογία, seu definitionem realē, certum quidem est, eam non uno ab omnibus Authoribus definiri modo: Aristoteles l. 3. Pol. 4. talem exhibet Reip. definitionem; Πόλιτεία ἐστὶ τάξις πόλεως τῶν τε ἀλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα πόλεις πόλιαν, h. e. Resp. est ordo civitatis & Magistratum, maximè verò ejus, qui omnium est præcipuus. Vel Πόλιτεία ἐστὶ τάξις τῶν τὴν πόλιν δικευτων, Resp. est ordo corum qui civitatem inhabitant. l. n. c. 7. Quas definitiones à multis approbatas, nec nos adeò improbamus, magis tamen placet definitio hæc: Resp. est ordo civitatis, per Regimen summæ potestatis, in subditos, legibus certis ad salutem publicam directus.

THEISIS IV.

Considerabimus iam genus, quod in data definitione cum Aristotele

Aristotele & alijs *τέχνη*, seu ordinem fecimus: quod nec inconveniens esse videtur, in *τέχνη* namq; Reip. Essentialia consistere satis est liquidum & manifestum, πόλεως ἔστι *inquit idem* Arist. 4. Pol. c. II. Quam in societate civili, cives nunquam conseqvuntur, nisi concinno imperantium ordine regantur, multitudinem enim civium ordine destitutam, si quispiam intrueatur, meram *ἀναρχίαν* & non Remp. animadvertis: quod non tantum ipsa rerum Magistrorum consensu jam dudum evicit.

THESIS V.

Cognito sic Definitionis datae genere legitimo, consequens est, ut de differentiâ ejusdem specificâ aliquid solliciti simus, illa namq; duo circa definitionem rei semper veniunt indaganda: Differentia igitur hic desumpta est, 1. A Subjecto Reip. quod est civitas, seu civilis societas, vel coetus ac multitudo civium, quae si hoc ordine destituatur, non aliter ac ruinosa domus, & familia inordinata sua mole ruit: Sicut enim totum hoc universum ordine concinno in suo statu conservatur subq; suo Rectore Deo viger, sic civitas legitimo administrationis ordine maximè floret. 2. Ab objecto, quod sunt Majestas & subditi. Majestas quidem eeu præcipuum analogon, cum illa mutata statim mutetur Resp. Deinde omnis ordo ad unum primum reducendus, quod Majestas. Subditi idcò, quia nulla Majestas dari potest, nisi sunt in quos illa sese exerat, & ad quos dicat respectum, Relata se namq; munò ponunt & tollunt. Sic igitur Remp. conjunctim constituant Majestas & subditi. 3. A Fine, qui duplex est, videlicet vel Subordinatus, qui consistit in bonorum, ad necessitatem, utilitatem vel jucunditatem pertinentium communione: Vel Ultimus, qui consistit in honestate, quam pax interna, civium tranquillitas sequitur. Ubi finem absolutè ultimum gloriam Dei, non omissimus, sed presupponimus.

THE.

THESIS VI.

Expositâ sic Definitione Reip. tam nominali quam reali, prius ad institutum nos accingamus oportet: non enim hâc vice tam de Rep. constituendâ aut componendâ, quam conservandâ & reparandâ, ubi lapsa fuerit, agere decrevimus: nec enim minor est virtus quam querere parta tueri, ut scitè ait Poëta. Unde rectè fecisse videtur Bornitius, qui in Ichnographiâ Artis Politicæ has duas statuit partes Politicæ principales, videlicet Remp. fundare & fundatam conservare. Imitabimur itaq; hâc in re Experientissimos Medicos, qui non tantum partes humani corporis omnes, earumq; naturam & usum pervergiant, sed & quomodo easdem in suo statu conservare, contra ægritudinem tueri, & si quid forte, mali contraxerint, pristino statui restituere possint, enix laborant. Ex iis verò omnibus, quæ ad sanitatem Reip. conservandam, si sit integra, aut reparandam, si sit amissa, maximè conducunt, in primis consideranda occurunt, Virtus & Eruditio. De ejus in Republicâ Usu & utilitate summâ imprimis breviter agendum, de hâc verò posterius.

THESIS VII.

Virtutis verò cum variæ sint species, quarum tamen unaquæq; ferè, alia magis alia minus ad Reip. tutelam facit: non certum, videtur adeò cuinam earum hâc in serie primatus tribuendus erit. Doctissimos tamen quosvis secuti Viros, Religioni tanquam reliquarum Virtutum omnium principio & fini, principem hic locum non immerito adscribimus: est enim illa validissimum Reip. fundamentum, teste Pl. I. 2. Pol. Hæc igitur tanquam possessionum omnium præstantissima Virtutumq; optima, nec non earundem principium atq; fundamentum verissimum, toti omnino Reip. imprimis implantanda est diligenter, diligentissime verò ab ipso Rege vel principe colenda, nam.

Regis ad exemplum totus componitar orbis.

Hinc laudem promeruisse legimus Regem Romanorum II. Numam Pompilium, qui imperium suum à divinarum rerum obser-

B

observatione auspicatus est, sacraq; plurima instituit, ut notat Florus l. 1. c. II. Hanc Virtutem quoq; magni fecit, magni ille animi & eximiae Virtutis Heros Constantinus Magnus, qui inter omnes Imperatores Romanos, hoc uno nomine maximè est commendandus, quod non solum primus ex iis Christum amplexus sit, sed Christianos quoq; Imperatores post se liquevit: Excludimus autem hic Religionem Thalmudicam, Idololatricam, & Mahomedanam, tanquam superstitiones & maxime absurdas, & amplectimur solam Religionem Christianam, quæ verbo Dei analoga est, & conformis.

THESIS VIII.

A Religione proximum meretur locum Prudentia, quæ ab Arist. 6. Eth. c. 1. Habitus agendi cum rectâ ratione, quæ homini vel bona sunt vel mala, definitur. Vel ut placet Schonborner Pol. I. 2. c. 32. Prudentia nihil aliud est, quam notitia rerum eventuumq; , & judicium in iis rectum; cuius beneficio intelligere & deligere novimus res, quæ publicè privatimq; aut appetenda aut fugienda; nec non despiciere, quæ nobis, quæq; alijs conducunt. Est igitur & hæc Reip. ut ab interitu vindicetur, atq; in flore conservetur, summè necessaria. Et quidem requiritur, tam ab imperantibus quam ab obtemperantibus. Ubi namq; non est Gubernator prudens, ait Regum Sapientissimus Salomon Prov. 5. Populus corruit: Salus autem ubi multa consilia. Et teste itidem Scripturâ, plus vallet correctio apud prudentem, quam centum verbera apud stultum. Juxta hanc igitur oportet nos recordari præteritorum, futura providere, præsentia ordinare: Hæc sola præeat, & ducat nos ad recte faciendum.

THESIS IX.

Prudentiam in aureâ hæc salutis Reip. catenâ, excipit vere Regia illa Virtus fortitudo: quæ est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: hæc igitur omnino in universam Remp. introducenda est, ut pote sine qua nec illa constitut unquam, nec constare potest. Hac igitur qui se circumdedit, securus in hæc vitæ obsidione perdurat. Hinc ipsi quoq; Jérô politici

politici civitatis firmamentum incolarum constantiam & robur esse dicunt. Doceantur ergo ab ineunte ætate cives mortem contemnere, & facile alia quævis formidabilia, quæ constantiam hominis non superant, tolerabunt: Constituantur etiam magna Fortitudinis præmia, magnoq; honore afficiantur, qui subitis casibus fortí animo perstiterunt, hostesq; à patriâ expulerunt. Ita fiet ut habebimus Militem exercitatum & animosum, in bello præsidium, in pace decus. Atq; tales omnes quibus, sudor, pulvis & alia talia epulis jucundiora fuerunt, perpetuâ laude decori apud omnem posteritatem vigent, inquit Schonbornerus Pol. I. II. p. 195. Ubi exempla quoq; recenti fortium Virorum ex Solino, Julij Cæsaris, qui signis collatis quinquagies & bis dimicaverat: Et Marci Marcelli, qui novies tricies pari modo præliatus est: Rarum quoquè fortitudinis exemplum posteritati reliquit, Cynegyrus Miles, qui non fatigatus tot cæribus, non amissis duabus manibus, viçtus truncus, ad postremum velut rabida fera, dentibus dimicavit. De quo Just. I. 2. p. 23. His igitur viam monstrantibus, obdurandum adversus urgentia, animoq; magno obviam eundum infortuniis.

THESIS X.

Præterea Rerump. egregia conservatrix esse solet Temperantia, quæ è pudicitia ac sobrietate tanquam partibus constituitur: Quarum illa sine hæc vix esse potest: Sine utraque vero Resp. haud quaquam salva & incolumis. Sobrietatem igitur commendat nobis D. Aug. dicendo quod ea sit mentis & sensuum, omniumq; membrorum corporis tutela, castitatis pudicitiaeque munimentum, pudori proxima, honestati semper conjuncta, cuncta cum ratione disponens. Castitatem quoq;, quæ dicens Schonbornero, reliquis virtutibus facem præbet justis extollit laudibus idem D. Aug. I. 1. De Civitate Dei, ubi eam dicit virtutem, quæ comitem habeat fortitudinem. Estq; hæc indeles hujus Virtutis, ut nunquam soleat esse sola, sed plerumq; ceteris comitata Virtutibus. Oportet igitur temperantiam in Rep. recte constitutâ sedulò excoli, ita ut purgetur Civitas libidinosis hominibus, cum nihil tam sit mortificum

ferum ingenij quām libido, nec possit animo per libidines corrupto aliquid honesti inesse. Et qui huic sunt obnoxii crimiui, illicò convolant ad alia, quod plurima docent exempla, tā in historiā S. quām prophāta occurrentia: Vitanda igitur omnino sunt spurca colloquia, nec admittenda inter Cives impudica spectacula. Sobrietas verò ut inducatur, Magistratus ipsi ejusq; ministri Sobrietati studeant, legesq; sumptuarias studiōse conservent.

THESIS. XI.

Magna deinde est Vis & utilitas Justitiae, in rectè administrandā Rep. Quippe quæ ipsa est quasi anima & compages Reip. quā sublatā Reip. ordo turbatur, & consequenter nihil minus quā salus & felicitas in eā sperari potest. Hac verò stabilitur Principatus, si nempè Magistratus in se inq; aliis firmiter iugis & aequitatem servet. Ut nec opulentii injustum quid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat. Hac virtus est sine quā nihil in imperii administratione laudabile efficitur. Quā remotā regna nihil aliud sunt quā magna latrocinia. Unde certum est, nullam unquam Remp. sine justitiā salvam extitisse, & diu conservatam fuisse. Quæcunq; verò Resp. floruit, regnante justitiā, maximè floruit: Hac etenim Romanum quoque imperium, ad summum transfluit apicem: Hac Trajanum etiam Imperatorem, quem Justitia ac Juris, humani dīviniq; tā repertorem novi, quām inveterati custodem, dicit Sext. Aur. Viāt. p. mihi 617. perpetuā nominis celebritate donavit.

THESIS XII.

E Justitiā verò immediatè quasi fluunt, fides, gratitudo, liberalitas, sine quibus virtutibus, ne mundus quidem, nedum Resp. consistere potest. Fidemq; iur servet populo Princeps, rursusq; Principi populus, fidem servent sibi invicem privati, fidem servet Resp. tota vicinis suis, imò etiam hostibus. Grata quoq; in bene meritos Resp. erit, ita ut sua maneat Virtuti præmia, suus maneat honos, sua laus, illis qui vitæ integritate,

morumq; & literarum studijs, commendationes se reddunt omnibus bonis, nam sublati studiorum pretiis, etiam studia per-eunt. Et nihil magis devincit Magistratus subditis, quām præmia, nec quicquam justius est, quam virtuti premium reddere: nihil denique magis incitat homines ad virtuti studendum. Parum enim prosit abstinere à vitijs, à quibus metus pœnæ homines abigit, nisi accedat etiam studium virtutis, sine quo tota Resp. quasi exangue & emortuum cadaver, jacet. Et quomodo possit incitati Florida Juventus, ad secundam virtutem, si illi qui detestabilibus se contaminarunt vitiis, iisque scatent, Virtutum cultoribus, æquiparentur aut præferantur. Resp. igitur talis, in quā non habetur ratio præriorum, juxta ac pœnarum, diu stabilis esse nequit; hoc enim modo facilimè possunt variæ exoriri seditiones, quæ quid boni in Rep conciliare possint, judicent cordati. Liberalis insuper sit in omnes, qui vel Eruditione, ac Prudentiā, vel fortitudine ac armis eam juvârunt, aut juvare possunt. Ita fiet, ut majoribus præmiis excitata juventutis industria, ad studia & labores propelletur, florabitq; illustribus Resp. ingenii. Barcl. Arg. I. I.

THESIS XIII.

Remp. non parum quoque stabilunt, Virtutes illæ, quas homileticas in Ethicis appellare solemus, Humanitas, Comitas & Affabilitas. Credi enim vix potest, quantopere animos hominum concilient, pacem & concordiam, Reip. firmamentum ac fulcimentum, alant. Ubi tamen hoc in primis cavendum, ne subditorum comitas nimia facilitate, in adulacionem vertatur; neque deinde principis seu imperantium affabilitas ad improbos quoque extendatur. Hoc enim oppositum est humanitati vitium in defectu, quod non minus ac Iracundia vitium eidem oppositum in excessu, ut docemur in Ethicis, fugiendum, tā à Regnabim⁹ quām à subditis. Ambo enim hæc sunt vicia, Reip. valdè noxia.

THESIS XIV.

Atq; sic jām recensuimus plerasque virtutes ad conservandam

dam Remp. maximè necessarias, quibus si pollet aurea profectio erit, & per Divinam gratiam, contra omnes hostium insultus satis firma: Si caret, nullum est dubium, quin diu in flore persistere non possit, sed absq; omni morâ, aut evertetur, aut ad minimum corruptatur, & per externam vim hostium, miserè prematur. Medium verò has virtutes inplantandi est bona educatio & recta institutio; Neq; enim Ecclesiam aut Remp. florentem nobis polliceri audemus, ubi nemo recte neque ad hanc neq; ad illam educatur. De ipsa verò educatione, aut institutione, prolixius differere, hac vice non videtur instituti esse nostri, igitur ulterius in proposito nobis themate pergendum.

THEISIS. XV.

Quemadmodum supra Th. 6. diximus, nos in suscep̄tā hāc materiā, hanc observaturos methodum, ut in primis ageremus de Virtute, genuinā illā Rerū publ. conservatrice, cum præcipuis & maximè necessariis suis speciebus; deinde verò brevissimè quādam dicemus de Eruditione: Consequens jām est, imo postulat ratio promissi, ut & hanc obiter attingamus.

THEISIS XVI.

Multa equidem sunt, ad laudem pertinentia Eruditionis, quaeq; proinde monstrarent illam Reip. utilem esse, omnibusq; omnino bonis maximè commendabilem; Sed quoniam nobis jām brevitati sit studendum, itaque conveniens videtur prolixiorē uberioremque hujus rei delineationem Oratoribus relinquere, atque absque longioribus verborum anfractibus asserere, quod Eruditio Reip. non tantum sit honorifica, sed & summe necessaria, quippè sine quā vix salva esse potest Resp. teste Socrate qui apud Platonem l. 5. de Rep. hanc fert Sententiam, videlicet cum demum beatas fore Resp. si vel Philosophi (intelligit veros) civitatibus dominentur, vel ij qui Reges Potentesque dicuntur, legitimè satisque Philosophentur. Et quis negaverit eam esse vim Eruditionis, ut per illam via radicitus evellantur, quā unā cum lacte materno imbibimus, ceu vulgo dicisoleat.

Di-

*Didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec finit esse feros;*

Est itaque eruditio dignus ornatus, quem ambiat Reges atque Principes, inque eo se conspicendos præbeant: ambiat quoque selecta sub ditorum portio. Nam doctrina sola est officina, in quā ceduntur arma benē gerendæ rei. Schonborn. l. 2. c. 32. Verū, quemadmodum (inquit idem Schonb. l. c.) famæ suæ non consulunt ij, qui prorsus à literis abstinent: ita rei suæ gerendæ male prospiciunt, qui totos se dedunt literis, & ideò res gerendas omittunt. Hæc itaque sunt facienda neq; illa omittenda: Sie, mediò tutissimus ibis.

THEISIS XVII.

Ut autem eō melius promissis nostris à nobis satis fiat, lubet adhuc subtexere aliquot cautelas, quibus via causis corruptiōnem portendentibus occludi solet. Quod fit primo si nihil, unde vel minimum periculum Reip. metuendum, spernatur, sed singulis in principio statim obvietur. Joh. Aven. Syn. Pol. Disp. XVIII. nam parva scintilla, in maximum excrescit sèpè incendium. Quod idem Arist. s. Pol. pag. 404. docet: τὸ δέκατον μηνὸν ἀμάργημα, inquit, pro maximo in progressu habendum. Sera namque tunc remedia parantur, cum vulneris ad extremos halitus pervenit. Ergo

*Principijs obsta serò medicina paratur,
Cum mala per longas, invaluere moras.*

Omne namque malum nascent facile opprimitur, inveteratum fit plerumq; robustius.

THEISIS XVIII.

Deinde utilissimum est, ad prævertendas Reip. mutationes, Lycurgi prudentiam imitari, qui ita leges suas conditas voluit, ut perpetuae essent, Videbat enim sartam testamque manere Remp.

Remp. quam diu ex legibus nihil immutaverit. Sed quam primum subditi ab ijs desciverint, & ut ait Arist. 5. Pol. p. 430. patrimonia ad paucos pervenerint, omnia retrò & in pejus ibunt, sicut exempla plurima in historiis passim occurrentia hoc ipsum satis luculenter probant. Recte igitur docet Philosophus animadvertere ὅπως μηδὲν πλεονάσκη μάλιστα τὸ μικρὸν φυλάτσιν, ne quid contra leges fiat, & exiguum maxime caven- dum. Nam ὁλίγον μεν πονηρὸν παρορχται. Πολὺ δε γνόμενον, εἴ ὁφθαλμοῖς μᾶλλον ἔστι. i. e. Exiguum quidēτο μα- lūm despicitur; Majus verò factum, magis appetet, magisque incurrit in oculos, ut eruditissime loquitur idem. 6. Pol. c. 4. Itaque Leges Reip. non facile sunt mutandæ. Sed si ab initio quicquam minus apte constitutum sit, quod necessariā mutatiōne indigeat, ne magni alicujus mali origo evadat, aut si pro- gressu temporis, malæ quidem consuetudines irrepserint, aut al- liud quiddam acciderit, quod sui remotionem indicet, tunc mutatio instituenda est, ne ἡ populo sentiatur, & ab alijs, in exemplum trahi possit, Henning Arnis, Doctr. Pol. l. 2, c. V.

THESIS XIX.

Porrò ut præveniri possit quibuscunq; Reip. morbis, sedulò cavendum monet Philosophus & Sophismatibus τῶν δημογρα- γῶν, i. e. (ut explicat Joh. Mich. Dilher, Syn. Pol. Aristote- leæ, p. 107.) a fraudulentis istis captiunculis, quibus molientes aliquid contra Remp. populum circumvenire solent: Quos vertit Lambinus, notante Arnis. Pol. II. c. v. leves tribunos plebis, ed quod populum ad libitum suum agitent. His talibus igitur, qui callidis consiliis & agitationibus suis, conantur imperitam multitudinem decipere, & hoc modo aliquid in Re- publ. immutare, fides non est adhibenda. Faciunt verò id hodie maxime Iesuitæ, omnis nequitia atque malitia fabri va- ferrimi, qui simulata pietate, si & tāque virtue Sanctimonia, astute & versute, magnates sciunt dementare, & ad voluntatem arq; nutum suum fecerit. Joh. Aven. Syn. Pol. Disp. 18.

THE-

THESIS XX.

Præterea ut cō faciliū occludatur via Causis Reip. interitum & ruinam minitantibus, attendendum quid svadeat Arist. I. 5. Pol. c. 8. ὡς δέ τὸς τῆς πολιτείας Φροντίζοντας, Φόβος τοῦ πολιτεύεσθαι, ἵνα Φυλάτσια, καὶ μὴ τούτων ὀστεον νυ- κτερινὴν Φυλακὴν, τὴν πολιτείας πύρην. i. e. Quare de- bent qui Reip. curam gerunt, terrores injicere ut vigilent, & tanquam nocturnam vigiliam, non deserant Reip. custodiā: Oportet igitur omnino cives perpetuos manere excubitores, nec unquam in securitatem Reip. pestiferam resolvi. Sic enim fiet, ut multa sāpe imminentia Reip. mala & pericula avertan- tur: quanto enim plus quis meruit, tanto cautius rem gerit.

THESIS XXI.

Prosponendum quoque ne in civitate statim magni honores & Magistratus, nimiaque potentia alicui concedantur; potius verò opera danda, ut parvi & diurni honores mandentur, ma- gni namque corrumpuntur: Arist. d. c. 8. quod si verò ho- nores magnos quis meruit, permittendum est, ut eō possit gra- datim pervenire. Sitamen per errorem aut fortunæ favorem alicui indigno, ad honorum fastigia contigit pervenisse, non subito de summo gradu dejiciendus est, sed paulatim potentia ei defalcanda, & honores ἐν τεραγονώντες i. e. sensim adimen- di sunt.

THESIS XXII.

Hæc jām fuerunt remedia, præservativa, quibus subjici pos- sunt curativa, quæ causas ingraevescentes amputant, & mor- bum tollunt. Cum verò ingraevescant cause per seditiones, quarum inter ventu corrumpunt Remp.: agendum igitur jām paucis, de remedij contra seditionem, & quomodo ea sit tol- lenda. Et antevertitur quidem seditio, sive civium contentio, si æqualitas observetur inter cives, quia hæc est mater amicitia- rum. Et in eō consistit salus Reip. ut tenuiores cum principibus æquati se putent. Hæc enīm est æqualitas illa, quam Arist. 5. Pol.

C

Pol. non tantum democratiam, quamvis illam maximè, sed etiam cœteras administrandi formas conservare dicit. Cæterum seditionem etiam legibus severè prohibendam esse, quia legum pœnarumq; metu maxima pars hominum deterretur potius quam utilitatis publicæ respecta ad tranquillitatem dicitur, svadet Arist. 5. Pol. p. 437. Illum verò, cui cura salutis publicæ incumbit, nequaquam oportet alterutram partem fore, sed potius operam dare, ut ab utraq; parte sedition extingvatur, non statim ad majora remedia transcendo, sed à minoribus incipiendo, tentanda est litigantium reconciliatio. Hæc enim via est mitissima, quâ si non successerit, reconciliatio, & dissidentes nec amor patriæ, nec authoritas Reip. dimoverit, ad asperiora remedia progrediendum est, utpote sunt, Exilia & cædes, Arnis. I. II. Pol. c. 5.

THEISIS XXIII.

Cum igitur nulla res tam exitiosa sit Reip. quam seditiones civiles, omni ope omnicurâ, & omni studio allaborandū est, ut causæ earū mature antevertantur: quas Arist. I. 5. Pol. c. 3. recentet decem: ὑβριν, πηγην, ὑπεροχην, φόβον, κακοφρόνην, αὐγητην, ἐρθέαν, διληγωσίαν, τῷδε τὸ μητρὸν ὄμοφυλον. Ad primam ergo illarum causam, quæ ὑβρις seu contumelia dicitur, avertendam, opera danda est principi, ut & ipse à crudelitate abstineat, & ne id committant Magistratus, sedulò prospiciat. Neque enim aureum est sceptrum quod regnum servat, sed multi amici sunt sceptrum solidissimum, maximèq; securum. Ab his igitur ut ametur, faciat Princeps beneficentia potius quam vi vel severitate, ut metuatur. Dehortationes à contumeliâ pulcherrimæ habentur etiam apud Ciceronem, I. 2. Officiorum, ut & t. q. Philip.

THEISIS XXIV.

Secunda verò πηγη, seu honor, vel honorum cupiditas, ex quâ dupli nomine sedatio oriri potest, vel enim ideo offenduntur cives, quod à publicis honoribus sunt exclusi, vel quia invident aliis istos honores, quos indignos iis esse putant, ita potest impe-

impediri, si observaverit Magistratus diligentissimè, 1. Ut dignis conferat honores. 2. Ne eos ita uni cumulet, ut multi negligantur. 3. Ne maximos in unum conjiciat. Secùs enim si fiat, non patræ possunt oriri civium indignationes, quæ semper noxiæ sunt, & Reip. nunquam proficuae.

THEISIS XXV.

Tertiam seditionum causam dicit Aristoteles 1. sup. cit: εἰσεὑπεροχὴν, seu excellentiam, quæ est, cum sive uni sive pluribus in civitate major quam pro viribus ac ratione Reip. ac statutis, dignitas confertur ac potestas. Contra quam nimiam potentiam, diligenter cavendum esse monet, modò nominatus Philosophus, Pol. 5. c. 3. ne unus aliquis ordo, vel civis nimis crescat & potens evadat, ita quidem ut reliquos opprimere valeat. Non enim oportet nutriti Leonem in urbe, nisi nutritio obsequium præstari velis.

THEISIS XXVI.

Sequitur jàm quartæ seditionum causa, quam Philosophus φόβον dicit, i.e. metum oppressionis & pœnae magnum & nocentissimum Reip. malum, ex quo sapissimè oriri solent rebelliones. Nam ex metu odium, ex odio insidias, & tandem manifestas oriri hostilitates experientia satis docet. Operam igitur dabit Princeps seu Magistratus, ut huic malo occurrat, benignitate ac clementiâ imperium temperando, amoremq; apud populares, metum verò apud hostes querendo. Nam quemadmodum per divinam vindictam, delicta nocentium non statim expiantur fulminibus: ita homo hominibus præpositus miti animo exercere imperium debet, & cogitare, utrum mundi status gratior oculis, pulchriorque sit sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatuntur, & ignes hinc atque illinc micant. Schonb. Pol. I. 2. c. 31.

THEISIS XXVII.

Quintò progrediamur ad κακοφρόνην seu contemptum, qui ut dupli modo perniciem Reip. affert, ita dupli hic opus est re-

est remedio. Subinde Magistratibus est videndum, ut nec ipsi subditos contemnant, nec ab iisdem contemnantur. Ne igitur contemnant subditos, laborandum est iis, de amore & favore subditorum. Firmissimum enim est imperium, quo obedientes gaudent. Hinc scitè ac prudenter Leo Imperator, quem inquit, homines diligunt, illi imperanti facile obtemperant, dicens & pacienti non resistunt, periclitanti succurrunt. Tanta enim res est amor, ut pro eo quem quis charum habet, vitam etiam profundere haud dubitat.

THESIS XXVIII.

Sextò opera danda est, ut in ordo civium in civitate sit potentior, & summam habeat autoritatem, qui maximè est amans praesentis status civitatis, & salvam cupit esse Remp. Arist. d. l. s. Pol. c. 9. Ratio hujus rei in propatulo est, nam si ordo iste qui statim Remp. odio prosequitur, & ejus mutationem desiderat, præponderet, facile eam quoquè immutaturus es- set. Quare èo diligentius hanc in parte cavendum, quod multi qui ab initio probi vissi fuerunt, postquam penes se habuere, cuius gratiâ probi fuerunt, ex probis facti sunt pessimi. Cum multis enim mortalium ita comparatum est, ut magnis & humili- bus promissis beneficia emant, quæ postquam ad se traxerunt, tum demùm male faciant, & subditis more Dominorum imperent.

THESIS XXIX.

Septima causa est sordida & abjecta conditio gubernantium: Cui itidem obicem ponere oportet, cum tales magis sunt Reip. dedecori quam ornamento, ac proinde a subditis contemnuntur, tanquam minus digni, quibus obedientia præstanda: Et hinc in eos conspiratio, quam sequitur, si non subita, latens tamen & paulatim Reip. mutatio. Igitur diligenter cavendum, ne ad eminentem aliquam dignitatem admittatur quis ex ultimiis negotiatoribus vel monetariis, abjectisque officiis, vel deformibus ministeriis, vel stationariis, omnique officiorum fece, alias enim qui digniores sunt & honestiores, cum Cicerone conqueri necessum habebunt, sibi cum mulionibus in Senatu assidendum. l. l. Ep. ad Att.

TH. XXX.

THESIS XXX.

Octavam seditionum causam facit Arist. ολιγωε/αν i. e. in- curiam seu negligentiam, quando Resp. datur administranda iis, quibus praesens status jam invidiae est & odio, ita ut eam co- servare & ad posteros transferre minimè studeant: Ergo viden- dum ne peregrini in Magistratum cooptentur, qui videlicet non hauserunt spiritum in ea civitate cui præsunt, nec mores & in- genia populi norunt; aut si norunt ferre non possunt. Diligen- tiigitur disquisitione opus est, priusquam imperium vel ma- gistratum alicui committas. Arnis. l. ii. Pol. c. 5. p. 458.

THESIS XXXI.

Nona causa vocatur à Philosopho μέτρη μηχανή, i. e. e- xiguum vel pusillum. Cum aliquid legibus contrarium, ac Reip. noxiū paulatim irrepit; & illud primò quidem tan- quam res nihili contemnitur, sed posteā magnas & periculosissimas inducit mutationes. Igitur μέτρη μηχανῆ τὸ μέτρη μηχανῆ, non negligenda parva initia, quibus paulatim fiunt magnæ accessiones, ut enim gutta cavat lapidem, nec cavari videmus, sed cavatum esse; ut arbores non videmus crescere, sed creville; ita levia hujusmodi incommoda, non animadvertisimus, nisi cum emerserint.

THESIS XXXII.

Decima causa est dissimilitudo hominum & variarum nationum in Rep. quæ plurimum discordia serere solet: præsertim cum multi peregrini sine discrimine in Remp. admittuntur, & reliquis civibus statim æquantur, vel etiam præponuntur. Huic igitur malo recte obviā itur, si Lycurgi exemplo peregrini absque gravi causa in Remp. non admittantur. Nec enim credendum est eodem studio, eademque pietate, teneri parvo tem- poris curriculo coacervatos peregrinos, quæ indigenæ tenen- tur; quippe qui amoris in patriam veluti seminarium a parentibus majoribusque acceperunt, & charitatem in cives cum la- que materno suxerunt. Adde quod propter morum dissimili- tudinem

tudinem, contrariaque studia, peregrinis admissis, cives gravibus inter se factionibus laborant, atque ita jura civium non nihil labefactantur. Unde conversiones Rerump. sèpè oriuntur: Interdum tamè recipi possunt sub certis conditionibus & cautionibus, videlicet: Si i. peregrini bona sint nationis, cuius magna semper habenda est ratio. ii. Si honestæ antea actæ virtutæ non destituti fuerint testimoniois. iii. Si evidens Reip. necessitas id requirat. iv. Si præter meritum suum miseri, aut religionis causa solum divertisse videantur. v. Ne peregrinorum numerus nimis excrescat: quia fortiores facti, indigenas non raro expellunt, Remp. turbant, seditiones excitant. &c. vi. Ne facilè ad honores & munera publica admittantur. vii. Si curetur ut peregrini certis coercantur legibus, ne novos introducant mores, & aliis civibus præjudicent. viii. Nec permittatur eis, ut aliquam sibi peculiarem Reip. formam constituant, aut aliam Jurisdictionem exerceant, quàm quæ sub Magistratu Loci est, ubi habitate volunt. Vid. Arnis. l. 1. Pol. cap. 12. Et hæc fuerunt quæ pro instituti ratione, breviter in thesi de Remediis Reip. tam præservativis quàm curativis dicere voluimus. Nunc addendæ videntur quædam quæstiones materiam hanc concernentes.

QUÆSTIO I.

An fatalis sit Rerump. periodus?

Conversiones & interitus Rerump. non fortunæ temeritate ferri notum est. Ideoque à Deo vel à naturâ, vel ab hominum arbitrio aut voluntate pendent. Cum verò voluntas humana, tam varia sit tamque sui dissimilis, ut nihil ex ea constituere possis, nihil de eo genere statuendum est. Divina autem potestas, licet absolutissime agat, naturalium tamen causarum interjectione & serie, ut plurimum uti solet. Deus quidem conservator est suæ creaturæ; Sed si peccatis irritetur variis & nimis, non parcit populo alieni, licet sint ipsi Israelitæ, & Jacobi posteri. Interim simul tam gratus apparuit, ut non sine prænunciis futuram demonstrat cladem. Etenim nunc cœlitus novis signis id testatur, nunc in ipsis Elementis prodigia se exercent:

Ipsa inclinatio astrorum multa indicat; quod toties historiæ & cotidiana experientia testatur. Clementia Jehovæ tam amabiliter gratiosa nobis affulget, ut nunquam nos velit à præmonitione aliquâ vacuos, si solummodo id dextrè attendamus. Sed antequám directè responderi potest ad quæstionem, oportet hic scire vocabulum fati non uno semper & omnibus accipi modo: Stoicis enim fatum nihil aliud est, quàm absolta rerum necessitas, orta à necessariâ & infallibili connexione primæ cause cum secundis in actionibus promiscue omnibus, ita ut voluntates etiam hominum simpliciter impellantur à Deo ad bona & mala. Quod fatum omnino intolerabile est piis auribus, nec quicquam commune habet cum providentiâ Divinâ. Orthodoxi verò per Fatum nihil aliud intelligunt, quàm seriem Causarum, divinæ providentiæ subjectam, quæ illis necessitatem non imponit, sed unamquamque modo sibi proportionato agere sinit. Nos igitur illud stoicum fatum rejicimus, & de fato Theologico, h. e. providentiâ divinâ, imperia & Resp. constitutive, extollente, evocante, debilitante, frangente, & in pulveris habitum redigente, præsentem quæstionem affirmamus. Quis enim Christianorum negare velit, cum Deus suâ Providentiâ gubernet omnia, eundem restanti momenti, quales sunt Regna & Resp. maxime sibi commendatas habere. Demonstrant hoc clare Testimonia sacra. Dan. 2. 1. Sam. 15. 1. Reg. 2. Quod verò nonnulli de certis Reip. periodis fatalibus, anno sc. 500. & 700. referunt, vix stare potest. Nam quamvis afferant illi exempla non pauca, tamen inductio illa exemplorum est mutila & manca, nec universaliter concludit. Ut enim homo in anno suo Climacterico, non semper moritur; ita Resp. post cursum annorum 500. 500. 700. necessariò non mutatur. Gottfrid. Olear. in decuria 14. quæst. Illustr. Polit.

QUÆSTIO II.

An Cometæ sint signa vel causæ eversionum
Rerump?

Variantes reperire licet de naturâ Cometarum Doctorum opiniones, adeò ut dia sub Judice lis erat, num essent Cometæ, justa

juxta sententiam Anaxogoræ & Democriti οὐ μόνοις, seu co-
parentiæ Errantium stellarum? Num juxta Aristotelem, sint
Meteora ignita, in supremum aëris locum elevata & ibi accen-
sa? Nùm verò fidus Φαυόπερος in æthereâ regione existens.
Tandem tamen post tot accuratissimas Mathematicorum ob-
servations hæc animis eruditorum infedit sententia, Cometas
scilicet esse quidem stellas, sed extraordinarias in ætherè re-
gione sitas. Nos tamen heic non moramur maximam hanc o-
pinionum diversitatem, nec hunc discursum hâc vice facimus
nostrum, sed relinquentes eum Physicis & Astronomis, nunc
solum solliciti sumus de Cometarum fine; non quidem Theo-
logico, quò divina judicia portenduntur, quæ monent & ad-
hortantur nos ad pœnitentiam; Sed Politico, qui est ut denun-
ciant calamitates futuras, utpote seditiones, bella, Rerump. mu-
tationes & eversiones. Hoc tamen probè tenendum, Come-
tas tales calamitates, non efficere sed denunciare. Signa Igi-
tur esse Cometas & prodigia venturæ alicujus calamitatis, ju-
stissimæq; Dei iræ, ultrò largimur. Cometam enim nunquam
impunè visum rerum Magistra docet experientia: Calamitatis
verò quascunque, & Rerump. mutationes, aut eversiones, Co-
metarum apparitiones insecuritas effectivè ab iis dependere, con-
stantè negamus,

QUÆSTIO III.

An numeri Platonici sint causæ mutationis Reip.?

Circa hanc quæstionem Authores varii, variis se torquent
modis, dum exquirere laborant, quidnam Plato l. 8. de Rep.
per expressionem numeri ternarii, 5, 7, &c. Juxta propori-
onem inter se collatam, denotare voluerit, quamque harmoni-
am heic subintelligat, & undè demum post dissolutionem har-
moniæ proportionis, talis etiam conversio, cujusque rei &
Reip. simul subsit. Adeoque exclamarunt nonnulli his numeris
Platonici nihil esse obscurius, nonnulli etiam ingenuè confessi
sunt se nescire, quid Plato eò loci velit. Quicquid verò est, &
quomodo unque intelligendi sunt numeri hi Platonici, nemo
tamen nobis persuadere potest, ut in affirmativam quæstionis
pro-

propositæ descendamus. Argumentamur itaque hunc in mo-
dum: Quicquid effectivè virtute planè destituitur non po-
test esse mutationum causa efficiens: numeri effectivè virtu-
te planè destituuntur. E. Major est verissima. Causalitas e-
nī Efficientis est actio, Efficientem causam ponens in actu, per
quam actionem agendi potentia, procedit ad actum. Quomo-
do autem actus per actionem procedat ubi non est potentia seu
virtus agendi? Minor etiam clara est: numerus enim quanti-
tas est, quæ non agit, quia est sōbiles materia, non agentis, sed
sāltem recipientis in sē formam. Damus tamen quantitatem
per accidens in sē habere virtutes majores, & acquirere vim a-
gendi: sic enim dicimus: in majori quanto major est virtus,
Verum talis vis agendi non est quantitatis, sed formæ & qua-
litatis in quanto contentæ. Jam manum de tabulâ.

Quod superest, Tu ô magne Deus, quibus
hunc orbem Christianum constitisti & firmasti, qui-
bus Sphæram hanc Academicam velut suo centro affi-
xisti & beati auspiciis: iisdem & im posterum firma,
defende, irriga, protege, bea, dirige: hostesque o-
mnes à tuis aris, cæterisque templis aucto tis, à vita for-
tunisque civium omnium arce, & omnes inimicos bo-
norum, scelerum fœdere ac nefaria societate conjun-
ctos, reprime & confunde, ut sub pacis velut gratissi-
mis etesijs nostra hac in militia Parnassiaca, tuis in
verbo revelatis mysteriis piè & sobriè credendo: quæ
jubes, ore & opere constanter & sincerè profiten-
do: Tibi, nobis nostrisque dignè & cautè vivetido ad
finem usque Ioriciā S. Sancti induti, infra cly-
peo consistamus, tandemque unà cum Christo filio
tuo, Imperatore nostro, beatisque cœlitibus trium-
phemus & tripudiemus.

D

Cui

Cui
S. S. TRINITATI
DEO OPTIMO MAXIMO
Incomprehensibilis Essentiae, immenae
POTENTIAE
Æternæ Immortalitatis
RERUM PUBLICARUM
Fundatori, Conservatori,
Restauratori
SAPIENTISSIMO:
Laus, honor, & Gloria
Soli
debetur.
In omne ævum.

Ad
Virum eximum.

D. ANDREAM PACCHALENIUM
Pro gradu in Philosophia eruditè disputantem:

R Itē modos numeras per quos Politia vigebit;
Mox in eā Temet præmia digna manent.

L. Mq;
ELIAS TIL-LANDZ
Med. Doct. & Prof. p. t.
Acad. Rect.

Eximo Philosophiae CANDIDATO
Dn. ANDREÆ PACCHALENIO
Pro gradu in Phil. summo disputaturo,
Amico meo honorando & perdilecto,
S Int licet innumeri casus, discrimina rerum;
Tu tamen ANDREA, fortiter ista feras!

Eft

Est Deus in cœlis, qui prævidet omnia solus,
Is dabit his finem; laude beabit opus,
In procinctu ad Tarasiam hoc
μνημόσυνον reliqui
AXELIUS KEMPE
L.L. Prof. Ordin.

VIRO JUVENI
Natura indole & accuratiore literaturâ
politissimo,

DN. ANDREÆ PACCHALENIO,
Philosophiæ CANDIDATO dignissimo,
amico & populari meo appri-
mè dilecto,

| Pro gradu in Philosophia ingeniosè disputantis:
H Actenus Aonijs operatus naviter hortis
Andreas, doctum culmina summa petit.
Sic tibi Sicelides & doct. p. t. Mulae
Digna ferunt meritis, prima bracea, tuis.
Upsaliæ reduci, studiorum mater Aboa,
Decernit celebres mox titulosque novos.
Euge decas juvenum, superos tibi cerne faventes;
Quem sic concordi sidera lege juvant.
Quos nunc Pierides clari meditantur honores,
Vergant in patriæ commoda multa diu.

Præclaros in Philosophia profectus & novos
brevi sequuturos titulos, obiter, ex an-
nimo tamen gratulabam
JACOB. FLACHSENIUS.

Præstantissime Dn. CANDIDATE, Salve!

Philosophiam absq; convenienti ad Reipub. usum applicatione
sterilem atq; inanem, ejusq; cultores amore Dei ac proximi
destitutos esse, cuivis vel leviter literis tincto, exemplo vel
salem Diogenis Cynici meridiana luce clarius est: Philosophiae
enim opera danda est, ut ad quævis parati, attemperare nos tem-
pori sciamus. Equis te, doctissime Dn. ANDREA P A C-
CHALENI, Candidate peregrinie, accuratius aut elegan-
tius hanc rem, quæ peneste est, observarit ac perpenderit? Tu
enim sane Philosophiae summos honores candidè ambiendo, eos-
dem te dignè meruisse, non levis aut vulgaris alicujas argu-
menti specimine declaras; Sed media & modum, quamvis Re-
pub. ab interitu vindicandi, egregiâ hac disputatione pro gra-
du eruditè edoces. Mones quippe easus quoqvis privatos non so-
lum fortiter ferendos, verum etiam heroico animo contemne-
dos, ing; publicâ salute ejusq; conservationis accurate cura unicè
acquiescendum; certus, florente Repub. non tantum damna priva-
ta refartum iri, sed & longè majoribus bonis subditos potituros.
Hæc namq; una via est, mibi crede, & laudis & dignitatis &
honoris: à bonis viris, sapientibus & naturâ bñd constitutis lau-
dari & diligi; nosse regiminis tam constitutionem quam conser-
vationem, à Majoribus nostris sapientissimè introductam. Sed
tantam cognitionem non cum latte materno ex uberibus matris
naturalis, sed Heliconis, quod ajunt, ex Junc cum hauseris,
Jupiter & Pallas peclitus tuum agide regent suâ, caputq; Castali-
des rutilanti ornabunt serto: Nam trahitur à Clarissimo mox
Promotore laurea tibi. Incepsum ergò primus secundet tecumq;
consummet pater Musarum. ut Tu, probatissime Dn. CANDI-
DATE pergas Reipub. diu prodeesse, tuis consulere, ac favere ho-
nores hos ex animo gratulanti.

Tui amantissimo

P E T R O W I O S T R I N O
Smol. S. S. Theol. Stud.